IN EXEQUIIS CELEBRATIS
EX MANDATO
SANCTISSIMI DOMINI
NOSTRI
CLEMENTIS XI.

ILL.mis AC REV.mis DOMINIS

IGNATIO PATRIARCHÆ ANTIOCHENO ET DIONISIO ALEPONENSI ARCHIEPISCOPO SYRORUM


IN

ECCLESIA COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE

Oratio inibi habita die 30. *Auguſti* 1702.

A

D. IGNATIO XAUERIO BENEDICTO CELLESIO
Ordinis S. Benedicti Silveſtrinæ Congregationis.



ROMÆ, Typis Sac. Congreg. de Propag. Fide. An. MDCCII.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

QUANQUAM funereæ molis facies hæc lamentabilis, atratus per totum ſubſelliorum proſpectus, & compoſitus undequaquè in pompam doloris mæror videantur ad lacrymas nos chortari, ſi tamen parentale ſpectaculum attentis perinde animis atque oculis introſpiciatur, exploratiſſimum erit noſtros non tam plauſus quàm gemitus ab eo peti, vel præ gaudio magìs quàm præ mæſtitia nobis eſſe modò collacrymandum. IGNATIUM PETRUM Antiochenum in Syriâ Patriarcham, DYONISIUM Aleponenſem Archiepiſcopum ex omni virtutum titulo commendatiſſimos Viros Syriaci nominis ſplendiſſimum lumen, totius Chriſtiani Orbis, & Romanæ nuper Urbis pulcherrimum ornamentum jam non habemus inter vivos, inter martyres enim ſperamus adnumeratos. Cur ergo Syriaca latè Natio duces

Digitized by Google

preſtantiſſimos, Orientalis Eccleſia Pontifices optimos Apoſtolica Romana Sedes defenſores acerrimos pari conſenſu doloris & ſociato lacrymarum commercio non doleant ſibi raptos atque ſublatos? At enim cur majori gaudio non confundatur fletus, cum videant Syriaci populi duces ſuos præire ad Sidera: cum ſuſpiciat Orientalis Eccleſia, cooptari Superis Principes ſuos: cùm ſperet Romana Sedes propugnatores olim ſuos jam ſibi de Cælo fortiùs adfuturos? Quamobrem advertite animis auditores præſtantiſſimi. Funereis cupreſſis diſſimulantur cæleſtes palmæ; obvoluntur mortuali caligine laurus immortales & ſplendiſſimus triumphus funeris ſimulacro quasi perſonatur. Revelet ergo verax Oratio hoc veluti ſiparium doloris: exhibeat in lucem fortiſſimas & ſui prodigas animas non ereptas morte ſed conſecratas. Gemini Heroes, *Qui viſi ſunt oculis inſipientium mori* pulchriùs vivunt quàm ſi viverent. Non eos vis inimica morbi proſtravit, non languida ſenectus diſſolvit, non humanus aliquis caſus oppreſſit. Viverent profectò Pontifices vitâ digniſſimi nì digniores reperti forent, qui pro Deo morerentur. Fruerentur hac lucis mortalis uſurâ, ſi vitam Religioni, Terram Cælo, Tyrannum Deo præferre potuiſſent. Quoniam verò pro gloriâ Sacerdotii, pro dignitate Romanæ Sedis contra Sectarios ſchiſmaticos invicti perſtiterunt, Heretica eos rabies & Fæderatus Eutichianis Thurcarum furor calumniis circumventos, cruciatibus plurimis eiſque acerrimis divexatos, ærumnis demùm ſupremis confectos voluit atque conſumptos. Hoc ne perire, dicam cadere victimam protectæ Religionis: jacere inter homines, ut ſedeas inter divos: detrudi ad ſepulchrum ut aras aſcendere merearis: deleri è vivis ut Martyribus adnumereris? *Plus eſt eſſe martyrem quam eſſe Apo-*

ſtolum,

ſtolum, Martyr ipſe teſtatur Cyprianus: Apoſtolus quidem verbo, Martyr opere, ille ſudore, hic ſanguine Deo famulatur. Quapropter martyrium Chriſtianæ virtutis pariterque laudis extremum culmen habetur, & ne dum apud profanos oculos verùm etiam apud ſacros ea pulcherrima gloria, quę cruentiſſima. Fortunatiſſimum profectò hoc hominum, immo Hęroum genus, qui mortem generis humanî formidabile infortunium, primæve culpæ indigniſſimam filiam, & digniſſimam pænam invertere poſſunt in ſuas laudes: nempe ſplendidè abuti defectu ad gloriam, ſupplicio ad triumphum, interitu ad ſacrificium, quo & divinitatis gloria dilatetur, & Angelici plauſus, vel etiam invidia commoveatur. Et ſanè ſi pertingeret invidentia ulla Beatas mentes; ſi ſuæ felicitatis tædere poſſet Angelos, dolerent profectò, quòd dolere nobiſcum nequeant, quodque per ſuam immortalitatem à martyrio prohibeantur. Uno verbo, quemadmodum cæterorum hominum vulgatus obitus imago quædam eſt criminoſi Adam, perinde tolerata pro Deo mors effigies pulcherrima eſt atque imitatio Dei Reparatoris. Quæ cùm ita ſe habeant Sanctiſſimorum Præſulum laudes penè immenſas uno verbo concluſas incepi & abſolvi cum Martyres appellavi. Quìn ſi multiplex cruciatuum acerbitas, ſi acerbitatis diuturnitas attentiùs expendantur, non imprudenter dubitabimus, eos paucis poſponi, plurimis comparari, nonnullis anteferri poſſe eorum, quos venerabîles aræ offerunt nobis adorandos. Et quidèm integerrimam eorum planèque Epiſcopalem vitam rectè appellavero diuturnum martyrium; nam ſi Tertulliano videtur *Tota vita Chriſtiani diſciplina martyrii*, quo martyrii tyrocinio ſunt imbuti, quà paleſtra exerciti, qui Pontificium onus humeris Angelicis formidatum, periculoſiſſimis locis, difficillimis temporibus inter incurſantes Barbaros,

obluctantes Hęreticos majori virtute pertulerunt? An dubitemus eos feciſſe ſatis muneri Pontificio qui normam Pontificatus ab ipſo vivo Pontificum exemplari hauſerunt? Qui hoc maximè titulo CLEMENTI placent, quòd munus ſuum præſtantiſſimè impleverunt? Qui ideò fortiſſimi inter martyres occubuere, quòd vigilantiſſimi inter Epiſcopos reperirentur? Neque enim aliâ de causâ Hæreticorum odia Barbarorum inimicitias adepti ſunt, quàm quòd Pontificium munus ampliſſimè adimplerent. Sed omittamus meritum ac præludium martyrii cùm martyrium tenemus: prętereatur ſilentio pulcherrima vita ut pulchriorem mortem diligentiùs intueamur. Poſtquam animadvertit ſchiſmaticorum perfidia Hęroum noſtrorum diligentiâ Catholicam rem nimis in dies promoveri, invidia in rabiem, rabies in furorem conversa per ſummam impudentiam, nempe hæreticam ſanctos viros calumniis inretitos deferunt reos Turcico Tribunali. Scilicèt, ut fortiſſimi Athletæ geminis hoſtibus uno impetu occurrerent, & duplicato certamine tot referrent triumphos quot habet in Syriâ hoſtes Deus. Apud nequiſſimos Judices iniquam cauſam iniqui actores facillimè peregerunt, & egregiè apud Maumetem Eutiches peroravit. Detruduntur in carcerem, at quem? In ſordidum equorum ſtabulum. infulata capita, dedicata templis ora: venerabiles populis Sacerdotes projiciuntur ad paleas equorum ungulis proculcandi, ut natalia IGNATII ac DIONISII apud ſuperos, natalibus Dei apud homines reſponderent. Et ſanè longè humaniùs conſultum illis foret ſi diutiùs cum belluis concluſi fuiſſent. A ſtabulo ad carnifices atrociores nempè belluas traducuntur. Habent in more Thurcæ ut in ſua mancipia & abjectiſſimos quoſque homines facta ad plantas pedum fuſtigatione animadvertant. Hoc ſupplicii ignobili genere viſum Barbaris eſt ſanctiſſimos viros

diſtor-

Digitized by Google

diſtorquere ſimul ac dehoneſtare. At immaniſſimis Turchis hæretici immaniores, quaſi Barbarorum crudelitati diffiderent, conveniunt tortores, & numeratâ pecuniâ eorundem barbariem paciſcuntur & mercantur. Itaque geminis furiis nativâ rabie, & avaritiâ perciti ſatellites quantum furoris expromere potuere totum in innoxios Præſules conſumpſerunt; adeò ut complures qui aderant Barbari, & quorum non erat empta ſævities, faterentur nunquam aliàs in reum ullum vel nocentiſſimum, ita ſævitum verberibus fuiſſe. Ab hac fuſtium procellâ ad ergaſtulum amandantur, ubi non tortororum virgis in corpore, ſed perditiſſimorum hominum conviciis in animo cæderentur. Damnatæ in eo ergaſtulo detinebantur Thurcicæ plebeculæ ultimæ quiſquiliæ & ſcelerum collecta colluvies. Enim verò nequiſſimi homines quaſi obtigiſſet aliquid quo compreſſam efferatamque carcere immanitatem exonerarent, toto petulantiæ impetu dicteriis atque inriſionibus in ſanctos viros effunduntur. dibacchantur. Et quoniam contumelia egregiè tolerata redit in injuriam lædentis, hoc ipſo ad novas injurias ſuperingerendas proritabantur Barbari, quòd illatas illi per ſummam patientiam diſſimularent. ſed pulcherrimum patientiæ ac petulantiæ certamen ad tres ferè menſes protractum eſt, ut inviciſſima patientia injuriarum aſperitate & perinde diuturnitate probaretur. ut fortiſſimi viri, peſſundati prius honoris, quàm confecti corporis Martyres apparerent. Tranſmiſſo demùm edicto à Byzantino tyranno deportantur in Andenſem carcerem. Sed quid deportantur? Equitantibus tortoribus ipſi pedites catenis onuſti, veſtibus penè nudi, brumali tempore, per aſpera Montium, per acuta ſaxorum, per abrupta convallium ſibilantibus circum Barbaris, obgannientibus Hęreticis impelluntur. Trahuntur. immo raptantur. Quid interea præcla-

præclariſſimi Chriſti Athletæ ullo ne gemitu ad dolores, ullo ne verbo ad ludibria conſentiunt? Nullo prorſus. apertiſſima patientia, & modeſto contemptu tortorum ita tolerant, quaſi non tolerarent. An non hoc videatur pulcherimum exemplum traducti per tribunalia fortiſſimi Martyris? An inceſſit aliter per illas ipſas palæſtinas vias cum raperetur ad Crucem Reparator Deus? En tandem ærumnoſæ viæ meta ærumnoſior. Includuntur Andenſi carcere vel ſepulchro. Convertite oculos ad teterrimum antrum: ſed quid oculi percipiant ubi ſe Sol ipſe nequit inſinuare, vel recuſat? Ubi tabidam noctem radius nullus lucis unquam diſcuſſit? Tenebris obſita imputreſcit fætore ſordidiſſima cavea, quam feræ ipſæ fugiant & perhorreſcant. Hæc eſt utrique Pugili conſtituta Palæſtra. At Aleponenſis Antiſtes profligata penitùs ab aſperimo itinere valetudine ad præoccupandam palmam in Cælum prevolavit. Precucurrit citius PETRO, ut PETRUS longiori certamine merita duplicaret, cum præmia differebantur. Divulſus proinde à ſocio amantiſſimo quo cùm viveret, commilitone fortiſſimo quo cum pugnaret, totus jam ſuo ſupplicio vacat. Ne oculos quidem eſſere extra ſuas pænas poteſt. Quàcumque viſus agat, incurrit fædiſſimi ergaſtuli anguſtiis. Non rima ulla non ſpiraculum adeſt quo ſpes patientis Cælum intus admittatur. Qui ſenſus præſtantiſſimo viro per integros ſeptem menſes? Quæ vivendi ratio dum vitam acerbiorem morte extraheret, dum luce ad intuitum, cibo ad victum, aëre ad ſpiritum, elementis ferè omnibus ad vivendum deſtitueretur? Mirum quidèm! A propinquâ graveolenti foveâ anhelitus quaſi illi intercludebatur, tamen voces ſuperfluebant, quibus hoſtibus veniam, ſociis conſtantiam, ſibi palmam per continuas ſupplicationes à Regina, & Rege Martyrum poſceret ac mereretur. His ſup-

plicatio-

plicationibus ſemper intentus peſſundato tot tantiſque ærumnis corpore, invictoque animo, corpus demùm inter famulatrices Sacerdotum lacrymas, animam inter arridentes Angelorum plauſus dimiſit, ac deſiit eſſe inter homines, ſemper futurus inter ſuperos IGNATIUS PETRUS Antiochenus. Quæ cùm ſint exploratiſſima & ab ipſo Judice Chriſtianæ veritatis expenſa atque comprobata, quo fletû niſi gaudii, quo ſensû niſi pietatis Hæroum Cineres proſequamur? Non ne videre vobis viſi eſtis in IGNATIO PETRO IGNATIUM illum Antiochenum alumnum quondam ac ſupplementum Apoſtolorum, quaſi reducem vel redivium? Par utrique cauſa: dignitas æqualis: conſtantia ſimillima: congruit ſedes nomenque conſentit. hoc diſcrimine diſtinguntur. Prior IGNATIUS mortem tulit ex imperio Profanæ, Secundus IGNATIUS ex obſequio ſacræ Romæ. Ille ut vinceret Romam magiſtram ſuperſtitionis animam profudit Hic ut defenderet Romam matrem Religionis vitam prodegit. at ab Utroque vel vinci vel defendi perinde tibi Roma glorioſum. Quanta verò Syriacæ gloriæ portio in tuas laudes redit atq; reflectitur Clementiſſime Pontificum CLEMENS. Antiochenum ipſe Præſulem ſponte properantem Tuis verbis penitùs inflammaſti, Teque in illum per Tua Exempla transfudiſti. Tuo ille ſpiritu afflatus, Te pleniſſimus poſtquam hinc diſceſſit per orientales tractus Deum propagavit. Tua illi Imago ſemper præſens animoque infixa perſuaſit ut ageret fortiſſima & pateretur: ut concluderet martyrio Pontificatum. Neque tamen objecto tantæ gloriæ ſplendore Pontificios Tuos oculos avertam à Sanctiſſimo Fletu quo fortiſſimos Hæroes proſequeris honoratos. Quid impediam lacrymas non minùs miſeranti glorioſas quàm miſerabili? Quid invideam Orbi Chriſtiano, novum inuſitatum planèque divinum Clementiæ Exemplum!

plum ! Quale quantumque Deus immortalis ! Pontifex ab Aſiaticis ærumnis toto Orbe diſtractus in eas tamen paterno ſeſe amore tranſportat & Clementiæ quadam immenſitate conjungit ſibi atque continuat alieni mundi calamitates. Hoc profectò eſt vices diuinas referre gradu & virtute: hoc Chriſtum Eccleſiæ ſupplere non tam dignitate quàm Clementiâ. Hoc ſolùm nobis modò ſupereſt cupientiſſimis animis optandum, votis enixiſſimis à Deo petendum, ut cujus repræſentat in regnando immenſitatem, hujus quòque æternitatem imitetur. & ſerò obtineat, quàm nimis meretur cæleſtem Fælicitatem.

Digitized by Google

INDICE

Componimenti [illegible] Seminarii Rom. Drama allegoricum. — 1
Carmina in seriem Sum. Pontificis sub nomine Clementis — 18
[illegible] — 24
[illegible] — 39
[illegible] — 51
[illegible] — 53
[illegible]
[illegible] — 55
[illegible] — 63
[illegible] — 69
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Componimenti [illegible] — 76
[illegible] — 81
[illegible] — 89
[illegible]
[illegible] — 93
[illegible] — 92
[illegible] — 97
[illegible] — 98
[illegible] — 99
[illegible] — 110
[illegible] — 111
Epigrammata [illegible] — 117
[illegible] — 124
[illegible] carmen — 127
[illegible] Verrone — 129
[illegible] nell'Oratorio [illegible] dell'Emo Card. Ottoboni — 137
[illegible] — 147
[illegible] Oratorii — 150
[illegible] — 167

Digitized by Google

Digitized by Google